

Angeb.)

BREVIS
ARTIVM
DISCIPLINARVM,

AVCTORVMQVE INDEX,

qui imminente iam astate anni LXI

magna cum cura & diligentia

in Schola Dusseldorpiana

explicabuntur.

SACRAE ANCHORAE NO

CVS ERGO IAM SATIS.



BIS DVO VOLVMINA NO

VVM VETVSQVE: QVER

Dusseldorpij apud Ioannem Oridryum & Al
bertum Buysium Affines. Anno 1561.

an J. Pr. 13

2 V. 16

m

Landes- u. Stadt-
Bibliothek
Düsseldorf

08.674

IO. MONHEMIVS SCHOLAE DVSSELDORPIANAЕ M O

derator candidis lectoribus S.



Vum turbulentissimis et periculosis huius temporibus nimis atrociter tumultuetur ac insaniat Satan ille πανούργος, mille ad fallendum artibus instructus, ut omnes res bonas, pias, ac Deo gratas vel penitus deperdat, vel saltem illis moram aliquam & impedimentum inferat, sanctorum profecto ac religiosorum omnium officium exigit, ut quisque in sua functione summa fidelitate, cura, vigilantia, labore et diligentia, quantum fieri poterit, illius nefarios impetus ac conatus perturbet ac impediatur. Ceterum cum omnibus hominibus ille hostis sit infestissimus, tum praecipue nimis ferus & immanis est scholasticis ceteribus, ubicumque eos tam in Christiana pietate, quam in bonis artibus & disciplinis recte sincereque institui ac informari senserit. Nouit enim ueterator versutissimus, ex huiusmodi scholis, tanquam officinis omnis honestatis ac probitatis, suo regno maximam imminere perniciem ac vastitatem: quare nunquam non has varijs fraudibus

fraudibus, calumnijs, machinis & præstigijs
dissipare ac peruertere conatur. Id quod ego,
& collegæ mei, qui iuventutem pro tenui in-
firmaq; nostra parte ad omnem humanitatē,
Christianamq; pietatem informamus, nimis
sepe experimur. Suos enim ministros & sa-
telles habet diabolus, quorum linguis quasi
flabellis omnis perturbationis, magna & im-
pudentia passim mendacia ventilare nō desi-
nit, quibus adolescentes studiosi ab hoc no-
stro gymnasio deterreantur & auocentur. Ini-
tio enim cum hæc Schola primum aperienda
foret, aulæ vicinitatem criminabantur,
quasi Iuventus aulicorum moribus exemplis
que corrumperetur. Verum ij, aut apertissimi
calumniatores fuerunt, aut illustrissimi cle-
mentissimiq; principis nostri, & eorum qui
sunt celsitudini ipsius à consilijs, omniumque
fere aulicorum consuetudinem & mores non
satis cognitos & perspectos habuerunt. Nam
tanta cernitur inter eos vitæ grauitas & inte-
gritas, tam continenter, tam sobrie, pieq; vi-
uunt, vt non solum studiosis adolescentibus,
verum quorundam etiam Episcoporum &
Abbatum familijs ad pietatis omnisque ho-
nestatis studium vel regula vel calcar esse pos-
sint. Præterea oppidi angustiam, hospitiorum
nullam

nullam commoditatem, rei frumētariæ obso-
niorumq; inopiam accusabant. Verū deo felī-
citer fortunante, tot ædes nouæ hic iam annis
abhinc aliquot sunt extructæ, & indies extru-
untur: veteres ita renouantur & instauratur:
tanta est annonæ copia, & quæ eam comitari
solet vilitas, vt locus etiã ad Academiã ali-
quam instituendam & erigendã satis aptus &
accōmodatus videri queat. Porro cum & hic
sua spe suoq; conatu depulsi, viderēt (oculis li-
cet ægerrimis) ad hoc gymnasium magnū stu-
diosorum vndiq; confluere numerū, eumq;
magis ac magis indies augeri, aliam rationem
inierunt, quemadmodū & is rursus disturbari
dissipariq; possit. Per annos enim aliquot, eos-
q; aliquãdiu cōtinuos, maxime sub autumnū
tamen, quo color esset aliquis mendacio, sub-
ornatis nuntijs circum circa diuulgari curaue-
runt, graui pestilentia passim in hac urbe ci-
ues cōflicteri, huius metu iuuetutem omnem
dilapsam: Scholam hinc vastam ac desertam
stare. Quo figmento se perterrituros sperabāt,
atque ita hinc longe auersuros eos, qui alio-
quin animum induxerant suum nobiscum hy-
bernare. Et vt verum fateamur, aliquando no-
bis impudenti hoc mendacio non nihil obfu-
erunt: expectationem tamen diuturni sui desi-

*

3

derij

derij ne sic quidem satis explere potuerunt. Quare rursus aliam machinam longe grauiorem coeperunt admouere, qua nos nostramq; Scholam labefactare & euertere sunt conati. Nouum enim eumque improbissimum tandem rumorem dissipare nihil eos puduit, generosissimum videlicet nostrum principem tantę scholasticorum turbę iam dudum pertæsum, nolle eam diutius in hoc suo oppido tolerare. Quo rumore etsi vanissimo nonnulli tamen inducti, Scholam hanc in ciuitatem aliam transferendam sibi persuasum habuerunt: alij iam translata, suoq; loco motam etiam num clamitare non desinunt: immo pleriq;, quod intolerabilius est, me plane missum esse factũ, vna cum collegis meis omnibus adhuc iactare publicę non verentur. Quasi vero tantum diuinę gratiæ, suæq; benignitatis & clementiæ beneficium, optimus & illustrissimus Princeps suis illis ciuibus, apud quos maiorem partem versatur, inuideat: ac non potius pro natiua sua beneuolentiã etiam ampliorem tantę vtilitatis fructum ijs præbere cupiat. An tantum illud, quæ sua est singularis prudentia, excludi patiatur commodum, quod Respub. aliæ passim maximis suis sumptibus sibi veniatur & ambiunt? Quapropter

vt hoc ipsum cōmentum, vna cum alijs omnibus calumnijs fallū esse, & ab ijs, qui verē pietatis, omnisque honestatis sunt hostes, confictum & excogitatum appareret, hac publicatione nostri scripti rem ipsam omnibus testatam esse voluimus: & simul eos, si qui forte nostro labore & opera frui velint, certiores facere, quas artes tractandas, quosue auctores in futuram ætatem, Deo imprimis, deinde principe illustriss. Meccœnate nostro clementissimo bene fauente in singulis classibus prælegendos esse decreuerimus. Benepieq; valete. Dusseldorpij ad VI. Idus Februarij Anno Christi 1561.

* 4

Secundæ Classi tradentur,

Mane hora sexta, Ioannis Velcurionis Commentarij in uniuersam Aristotelis Physicam: & alternis diebus Secundus liber Mosis, Exodus.

Hora duodecima, Commentaria Iulij Cæsaris.

Lectiones communes Secundæ

ac Tertie classibus.

Hora septima Orationes Demosthenis, adiuncta semper regula una atq; altera ex Græca Syntaxi Georgij Fabricij, & Ciceronis Orationes Philipp.

Hora quarta Officia Ciceronis, & ferijs præci-
daneis Liuius.

Diebus festis hora sexta Esaias Vates Græcè:

Duodecima & Quarta Euangeliū Matt. Græcè.

Tertie Classi.

Hora sexta Dialectices præcepta et Virg. Aen.

Hora duodecima, Grammatica Græca Clenardi
cum epistolis Demosthenis & Aesch.

Hora prima præcepta Rhetorices Cornel. Valer.

Quartæ Classi.

Hora sexta epistola Ciceronis, & Dialectices
rudimenta alternis diebus:

Hora Septima, constructiones Erasmi, & prima
Rhetorices elementa ex Cornelio Valerio.

Hora duodecima, Terentius:

Hora prima, Græcæ Grammat. elementa ex Clenar.

Hora

Hora quarta, Virgilius, & præcidaneis ferijs
Tabulæ Murmellij de componendis uersibus:

Diebus festis Euangelia & epistola Græcè, quæ
ijsdem diebus pro more in templo decantantur.

Quintæ Classi.

Hora sexta Grammatices Latine partes due,
Orthographia & Etymologia.

Hora septima Epist. Ciceron. à Sturmio selectæ.

Hora duodecima Constructiones Erasmi.

Hora prima Terentius.

Hora quarta, Ouidius de Tristibus, & Tabulæ
Murmellij de componendis uersibus:

Diebus festis, Euangelia & Epist. quæ per singu-
las ecclesias eisdem diebus leguntur & Catechismus.

Sextæ Classi.

Hora sexta & duodecima, Quartus liber Dialo-
gorum sacrorum:

Hora septima et prima, Orthographia et Etymol.

Hora quarta, Regulæ faciliores ex Erasmi con-
structionibus cum Elegantijs ex Cicerone collectis.

Diebus festis Euangelia et Epistola de tēpore, uti
uocāt, & Catechismus breuis ex Erasmo collectus.

Septimæ Classi.

Hora sexta & duodecima, Dialogorum sacro-
rum liber primus:

Hora septima & prima, Communiora præcepta

* 5

Grammaticæ

Grammatices:

Hora quarta paradigmata declinationum et coniugationum ex Donato:

Diebus festis Euangelia, et Catechismus.

Lectioes publicæ & communes,
quæ diebus profestis hora nona gratis
tuito explicabuntur.

Diebus Lunæ, Iouis & Saturni M. Ioannes Oriedryus Musicam tradet, & iuventutem nostram quam diligentissimè tum in cantu Gregoriano, tum mensurali exercebit. Cæteris diebus Gymnasiarchus Arithmeticam, & prima Geographiæ ac Astronomiæ elementa. Explicabitur eadem hora ijs adolescentibus, qui animum ad sacræ Theologiæ studium applicant, Grammatica Hberaica, & Vates Ionas.

Auctores subsequentes legitimis
istis lectionibus finitis sub Paschæ &
Michaelis ferias exponentur.

Secundæ & Tertiæ Classibus

Prælegetur Homerus Græcè, Opuscula Plutarchi aut Isocratis, tum Epistolæ Ciceronis ad Atticum, Georgica Virgilij, & Odarum libri Horatij: in illis themata Græcæ linguæ, & quæcunque ad Grammaticam Græcam perinent, excutientur: in omnibus

autem

autem istis auctoribus uerus usus Dialectices &
Rhetorices aperietur:

Diebus festis aliquot Psalmi Dauidis.

Quartæ & Quintæ.

Bucolica Virgilij, Epistole Horatij, Comœdiæ
ex Plauto selectæ Aulularia uidelicet & Captiui.
Aliquando etiam Ciceronis de Amicitia & Seneca
Stute libelli, in quibus omnia ea quæ ad Gramma-
ticam pertinent, in memoriam reuocabuntur.

Sextæ & Septimæ.

Aesopi Fabule breuiore ad usum puerorum se-
lectæ, Catonis disticha, uel Erasmi libellus de Ciui-
litate morum: in quibus exponendis quotidie repe-
tentur ea, quæ superiori semestri eisdem classibus
in re Grammatica tradita sunt.

Quid in disputationibus publicis præstetur, quid
in declamationibus, quid in reliquis exercitijs qui-
bus in utroq; genere dicendi, & utraq; lingua non-
stri discipuli assidue exercet, si qui scire uelint,
ijs malim ipsa re, quam amplis pollicitationibus fra-
dem facere.

ΦΡΑΓΚΙΣΚΟΣ ΦΑΒΡΙΚΙΟΣ
τῷ ἀναγινώσκοντι.

Τερψίνοθ' παιδὸ πάντας ἑπέρατος ἔδσα
τῆς χαλεπῆ δέλκτρον μήποτ' ἀμω
ρὸν ἔχει.

Ὅσοι κ' ἀνθρώπων λόγοι, σπειρῶνι γλυκεία

Ἀγρεύουσ' ἀκράς, κέντρα λιπόντες ἄει.

Ἄνταρ ὑπὸρλαμπει ποιανιέων μέγα ῥήτωρ

Κικροπιδῶν, ὡς δὴ αὐθιγῶν κικέρων.

Ἀμφοτέρης μύσης ἴζηγεόμεθα φέροντας

Ἐν γλώσσαις ἱεραῖς ἀνθεα τ' ὄσδε νέοις.

Ἴσοείης τε μέλει πῶδικα μὲθ' ἢ μάλ' ἐνόησον

τῆς ζωῆς, πρῆξις ἔνθα λόγος τε ὄρχης.

Ἐισὶ δ' ἡραμιαϊκῆς, λογικῆς τε διδασκαλαί
ᾧδε

Νηίδες δ' ῥήτρης εὐκελαδαιστ' ἔχεις.

Ἄνορασι θαυμαζέεις τὰδε σεμνά κακῆς φθο-
νέας;

Ὁ φθόνθ' ἔρχεσθ' ἐς τὰπίσημα φιλῆ.

AD IPSAM SCHOLAM

EPIGRAMMA.

Ioan. Oridryi.

Quod fouet & nutrit diuina potētia, sensim
Surgit & augetur, sit licet exiguum.

Quamq; eadem fulcit iam molem faustius auctam,
Illa graui nunquam ui superante ruet.

Quod bene fundauit diuino numine Princeps,
Iam bene perfectum quodq; tuetur opus:

Quæ uiolenta manus queat hoc subuertere, & imis
Ferro uel flamma sedibus eruere?

His tua Præsidibus sunt fundamenta locata,
His incrementum statq; labatq; tuum.

Quid metuas Schola parua olim, nūc magna, pro
Vrgentes in te, flaminaq; æolia? (cellas

Est Deus, est Princeps, est consilij ipse Senatus
Supremi, columen firmaq; petra tibi.

Τοῖσι πεποιθῆα μέμ γ' ἐχθροῦς σέο πάντας
ἀνώγει

Οἰμώξειρ, μέλανος ἐς κέρακός τε φυγῆμ

M. IOACHIMVS ARTVS
POEVS VASSENBERG.

ἀναγνωστῆ.

(τροί

ΠἩμα κακῶν πολλοὶ πρῶτον βέβησαν ἀλι
τῶ μὲν γυμνασίῳ, πολλὸν ἄρα ψευδὸς ἔργου.
Αλλ' ὡσαύτῃ καὶ ἐτηπνοίῃ μάλα τῶν ἑμῶν,
ὧς αὐξεί μάλ' ἄσπερον γυμνάσιον γε φθόνῳ.
Μύησι δ' αὖτ' ἐπιλομέσθαι δεύρο ἵκοντο
καὶ βλάπτει μηδὲν χέτλια ἔργα κακῶν.
Ἔργα θεῶν φαύλων οὕτως ἢ οἶδ' ἀλιώσαι,
καὶ βουλὰς ἀγαθῶν ἴζετέλεντε πόνους.
Τούνεκα λῆγ' ὅστις κακὰ φρεσὶν σῆσι μλοινᾶς,
πρήξεισιν ἀποδοῦναι νύ γε ταρσασέμενοι.

M. LVDOLPHI LITHO
COMI OCTOSTICHON. AD
Tyronem militiae literariae.

Si iuuat ex illo, quem Pegasus ungue reclusit,
Ingenuam dulci fonte leuare sitim:
Si iuuat Aonidum doctis insistere castris:
Huc ades, optatisque potiere tuis.
Nam bene Pierijs satiaberis artibus, atque
Præmia solliciti magna laboris erunt.
Pallade sub docta melius quam Marte merebis:
Illa suos ornat, uulnerat iste suos.

M. I O

8
M. IOHANNIS VOS
SII HEXASTICHON.

HIC Virtus, hic uera uiget cum Relligione
Sincera, Pietas; maxima dona Dei:
Ut Latine studium sileam Græcæq; loquela,
Præclaras artes ut taceam omne genus.
Experiare puer, non hic fraudabere, uanis
Promissis dices quoslibet esse sine.

M. GVILIELMI KEL
SII TETRASTICHON
ad studiosum puerum.

Si pietatis honos, si uita gloria sanctæ
Curæ est, ut debet, care puella tibi:
Artibus ingenuis si uis coniungere linguas
Tres primas, nostræ tecta subito Scholæ.

M. MARCI PORTII TE
TRASTICHON IN OB
trectatores Scholæ.

Quid iuuat in fontē uirulenta carpere lingua
Zoile, cum uigeam numine fulta dei:
Scilicet infirmam stabilit pia dextera Christi,
Quare ego nullius uerba, minasq; moror.

FINIS.

M. JOHANNES KEIL

Experimentum de ...
P... ..
Experimentum de ...
P... ..

M. GUILIELMUS KEIL

Experimentum de ...
P... ..
Experimentum de ...
P... ..

M. MARCO DOMINICO

Experimentum de ...
P... ..
Experimentum de ...
P... ..

11/16 2. 2.00 911



